

quoque prophetis de ignobili aspectu eius, ipsae passiones, ipsaeque contumeliae loquuntur. Passiones quidem humanam carnem, contumeliae uero inhonestam probauere. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus nouum, *ullam sputaminibus contaminare faciem nisi mererem? Quid dicis caelestem carnem, quam unde caelestem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas, habes? Esuriit sub diabolo, sitiit sub Samaritide, lachrymatur super Lazarum, trepidat ad mortem. Caro enim, inquit, infirma. Sanguinem fudit postremo. Haec sunt, opinor, signa caelestia. Sed quomodo inquam contemni & pati posset, sicut & dixi, siquid in illa carne caelesti generositate radiasset. Ex hoc ergo conuincimus nihil in illa de caelis fuisse, propterea ut contemni & pati posset. Conuertor ad illos aequae sibi prudentes, qui carnem Christi animalē affirmant, quod anima caro sit facta, ergo & caro anima. Et sicut caro animalis, ita & anima carnalis. Et hic itaque causas requiro, si ut animam saluam faceret in semetipso suscepit animam Christus: quia salua non esset nisi per ipsum, dum in ipso non uideo cur eam carnem fecerit animale, induendo carnem, qua si aliter animam saluam facere non posset, nisi carnem factam. Cum enim nostras animas non tantum non carneas, sed etiam in carne, disiunctas saluas praestet: quanto magis illam, quam ipse suscepit, etiam non carneam redigere potuit in salutem. Item cum praesumat non carnis, sed animae nostrae solius liberandae causa processisse Christum: primo quam absurdum est, ut animam solam liberaturus, id genus corporis eam fecerit, quod non erat liberaturus. Deinde si animas nostras per illam quam gestauit liberare suscepit, illam quoque quam gestauit, nostram gestasse debuerat: id est, nostrae formae, cuiuscumque formae est in occulto anima nostra, non tamen carneae. Caeterum non nostram animam liberauit, si carneam habuit: nostra enim carnea non est. Porro si non nostram liberauit, nihil ad nos: quia carnea non est, quia non nostram liberauit. Sed nec liberanda erat, quae non erat nostra, ut scilicet carnea: non enim periclitabatur, si non erat nostra: id est, non carnea: sed liberatam constat illam. Ergo non fuit carnea, & fuit nostra, * si ea fuit quae liberaretur, quoniam periclitabatur. Iam ergo si anima non fuit carnalis in Christo, nec caro potest animalis fuisse. Sed aliam argumentationem eorum conuenimus, exigentes cur animale carnem subeundo Christus, animam carnalem uideatur habuisse. Deus enim, inquit, gestauit animam uisibilem hominibus exhibere, faciendo eam corpus, quae retro inuisibilis extiterit. Natura nihil, nec semetipsam uidens, praeter impedimento carnis huius, ut etiam disceptaretur, nata est anima an non? Itaque animam corpus effectam in Christo, ut eam & nascentem & morientem, & quod fit amplius, resurgentem uideremus. Ex hoc autem quale erit, ut per carnem demonstraretur anima sibi aut nobis, quae per carnem non poterat agnosci, ut sic ostenderetur: dum id fit cui latebat, id est, caro: tenebras uidelicet accepit, ut lucere possit. Denique ad hoc prius retractemus, an isto modo ostendenda fuerit anima, an in

totum in.

Al's *illam.

probat carnem Christi non esse reprobam

Substantia huiusmodi

Anima carnalis non est nisi affectibus

Al's * si ea non fuit quae liberaretur quomodo periclitabatur.

omnis heresim ignominiosam ordinem?